

hoc impedimentum oriri ex obice peccati, nam si illud excusetur, sacramentum non privabitur suo effectu, propterea quod ab hæretico ministretur, ut latius postea dicemus.

ARTICULUS X.

Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti (infra, quæst. 74, art. 2, ad 2; et 4, d. 6, quæst. 1, art. 2, quæst. 2, et d. 11, quæst. 2, art. 1, quæst. 3, ad 1, et d. 10, quæst. 1, art. 3, ad 3).

1. Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. Intentio enim ministri debet conformari intentioni Ecclesiæ, ut ex dictis patet. Sed intentio Ecclesiæ semper est recta. Ergo de necessitate ad sacramenti perfectionem requiritur intentio recta ministri.

2. Præterea, perversa intentio deterior esse videtur, quam intentio jocosa. Sed intentio jocosa tollit sacramentum, puta, si aliquis non serio, sed ludo aliquem baptizaret. Ergo multo magis perversa intentio aufert sacramentum, puta, si aliquis aliquem baptizaret, ut postmodum eum occideret.

3. Præterea, perversa intentio facit totum vitiosum, secundum illud Luc. 12: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit. Sed sacramenta Christi non possunt inquinari per malos homines, sicut Augustinus dicit contra Petil. (lib. 2, cap. 47, et lib. 3 cont. Cresc., cap. 5, 6, 7, tom. 7). Ergo videtur, quod si sit perversa intentio ministri, non sit ibi verum sacramentum.

Sed contra est, quod perversa intentio pertinet ad malitiam ministri; sed malitia ministri non tollit sacramentum. Ergo nec perversa intentio.

Respondeo dicendum, quod intentio ministri potest perverti dupliciter. Uno modo respectu ipsius sacramenti, puta, cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere. Et talis perversitas tollit veritatem sacramenti, præcipue, quando intentionem suam exterius manifestat. Alio modo potest perverti intentio ministri, quantum ad id quod sequitur sacramentum, puta, si sacerdos intendat aliquam feminam baptizare, ut abutatur ea, vel si intendat conficere corpus Christi, ut eo ad veneficia utatur. Et quia prius non dependet a posteriori, inde est, quod

talis intentionis perversitas veritatem sacramenti non tollit, sed minister ex tali intentione graviter peccat.

Ad primum ergo dicendum, quod Ecclesiæ intentio recta est, et quantum ad sacramenti perfectionem et quantum ad sacramenti usum, sed prima rectitudo perficit sacramentum, secunda operatur ad meritum. Et ideo minister, qui conformat intentionem suam Ecclesiæ, quantum ad primam rectitudinem, non autem quantum ad secundam, perficit quidem sacramentum, sed non est sibi ad meritum.

Ad 2, dicendum, quod intentio ludicra, vel jocosa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur sacramentum, et ideo non est similis ratio.

Ad 3, dicendum, quod perversa intentio pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex perversa intentione ministri pervertitur, id quod agit in sacramentis, in quantum est opus ejus, non in quantum est opus Christi, cujus est minister. Et est simile, si minister alicujus hominis, prava intentione deferret pauperibus elemosynam, quam dominus recta intentione mandaret.

Littera hujus articuli clarissima est, doctrina vero ejus comprehensa est in illa, quæ art. 5 et 8 est tradita.

DISPUTATIO XIII.

DE CAUSA PROXIME MINISTRANTE SACRAMENTA.

In hac disputatione explicanda sunt omnia, quæ ex parte ministri necessaria sunt ad veritatem sacramenti; unde primo dicemus de persona, deinde de actibus, quos adhibere debet ad sacramentum perficiendum, ut factum teneat, et excludemus alias conditiones, quæ simpliciter necessariae non sunt. De his vero, quæ ad digne ministrandum sacramentum servari debent, commodius dicemus inferius in moralibus disputationibus.

SECTIO I.

Utrum omnes et soli homines possint esse sacramentorum ministri.

1. Ille verus sacramenti minister est, quem Christus esse voluit. — Principio statuenda est generalis regula in commentariis

articulorum indicata, quæ est basis et fundamentum omnium, quæ dicenda sunt, scilicet illum esse sufficientem ac necessarium ministrum ad sacramentum conficiendum, quem Christus sua institutione designavit. Probatur, quia, ut Concil. Florent. docuit, sacramenta tribus perficiuntur, materia, forma et ministro; ergo necesse est, ut qui sacramentum instituit, hæc tria statuatur atque designet, quæ sunt de necessitate sacramenti. Quia institutio sacramenti hæc omnia includit; ergo sicut in unoquoque sacramento, quæ sit materia vel forma sufficiens aut necessaria, ex Christi institutione petitur, ita de ministro ratiocinandum est. Et confirmatur, nam hæc ratione sacramentorum ministri dicuntur operari, ut instrumenta et organa, quæ vicem Christi gerunt, non solum respectu effectus sacramenti, sed in ipsomet sacramento conferendo. Ita sumitur ex Augustino, tract. 5 et 6 in Joan., ubi ponderat verbum illud: *Hic est, qui baptizat*, id est, Christus. Quia licet Petrus baptizet, tamen id facit ut minister a Christo deputatus; idem, lib. 3 contra Cresconi., c. 8, ubi adducit illud 1 ad Cor. 9: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*; et lib. 4 contra litter. Petilian., c. 7, comparat ministrum sacramenti cum ministro Evangelii, quatenus uterque operatur ut legatus Christi. Addit vero, lib. 5 de Baptismo, c. 14, consideratione dignum esse, Paulum interdum vocare Evangelium suum, nunquam tamen appellasse baptismum suum, quia licet in utroque munere sit homo minister Christi, specialiori tamen modo in collatione sacramenti, quam in fidei prædicatione. Nam in hac potest homo aliquid de suo ponere, aut in modo, aut in doctrinæ expositione, aut in similibus; tamen in sacramento tradendo, totum, quod ad substantiam pertinet, fit ex institutione et virtute Christi. De qua re plura legi possunt apud eundem Augustinum, lib. 3 contra litter. Petil., c. 8, 49 et 55, et aliis lib. contra Donatistas. Ultimo adjungi potest ratio, quia conficere sacramentum est opus supernaturale, nam est conficere signum efficax gratiæ; sed nulla creatura ex se habet hanc potestatem; ergo oportet ut illam recipiat ex divina institutione.

2. Soli homines sacramentorum ministri sunt. — Hoc posito, dico primo: soli homines sunt sufficientes ministri sacramentorum. Hæc est mens D. Thomæ hic, art. 7, atque idem docet Alex. Alens., 4 par., quæst. 16, memb.

4; Gabr., d. 6, q. 4; Soto., d. 4, q. 5, art. 4, et reliqui. Probatur primo ex Christi institutione in singulis sacramentis; nam solis hominibus dixit, Matth. ult.: *Baptizantes eos*; et Luc. 22: *Hoc facite*; et Joan. 26: *Quorum remisistis peccata*; et Jacob. similiter dicitur: *Vocet presbyteros Ecclesiæ*; et Act. 8, Apostoli mittuntur ad confirmandos eos, qui fuerant in Samaria ad fidem conversi. Denique ad Ephes. 5, inquit Paulus de Christo: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*; et postea subjungit: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*. Totum ergo hoc ministerium commissum est hominibus; de quibus propterea dicitur 1 ad Cor. 4: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*. Secundo, afferri possunt congruentiæ hujus institutionis. Prima, quia præcipui ministri sacramentorum, et qui ex officio ad hoc constituuntur, sunt sacerdotes; sacerdos autem (ait Paulus ad Hebr. 5) oportet, ut sit ex hominibus assumptus, ut pro hominibus constituatur in his, quæ sunt ad Deum. Quam congruentiam attigit D. Thomas in art. 5, et optime illam confirmat, quia summus Pontifex Christus, qui est præcipuus auctor sacramentorum, est verus homo; et ideo expedit, ut ministri sint illi in natura conformes. Secunda adjungi potest, quia illi, quibus ministranda sunt sacramenta, sunt soli homines; ergo, ut servetur proportio, oportet ut ministri etiam sacramentorum sint homines. Tertio, fuit hoc Ecclesiæ conveniens; nam cum humana et visibilis sit, debuit per humanos ac sensibiles ministros gubernari; ergo etiam oportuit ut ab eisdem sacramenta ministrarentur; ergo angelici spiritus non erant ad hoc ministerium accommodati. De inferioribus vero creaturis nihil dicere oportet, quia cum ratione careant, omnino sunt hujus ministerii incapaces. Quarto, addit Cajetanus fuisse conveniens ut sacramenta constarent verbis; soli autem homines possunt propria verba proferre; nam licet Angeli in corporibus assumptis possint efficere sonum verbis similem, non tamen possunt veram locutionem efficere, ut docuit D. Thomas, 4 par., quæst. 54, art. 3, ad 4. Dices, ille sonus in ipsa motione, vel qualitate, vel signo sensibili, nihil differt a propria locu-

tione humana, sed solum in habitudine, seu emanatione ab organo vitæ, et anima informante illa; hoc autem nihil differre videtur a ratione sacramenti, quæ consistit in signo sensibili; ergo hoc nihil obstat, quominus Angelus per corpus assumptum possit proferre verba ex se sufficientia ad constituendum sacramentum. Respondetur (quidquid sit de physica distinctione inter utrumque sonum, quæ ad præsentem disputationem non refert) propria verba et humanam locutionem esse necessariam ad formam sacramenti, quod colligimus ex Christi institutione, qui solis hominibus præcepit, ut illis sensibilibus verbis, quibus exprimere solent conceptus suos, ad conficienda sacramenta uterentur.

3. *Baptismi etiam ministrum debere esse hominem, ostenditur.* — *Quidam ab Angelo consecratur Episcopus.* — Tandem, si per singula sacramenta discurremus, de sacramento matrimonii nulla potest esse controversia, quia in illo nullus requiritur minister præter ipsos contrahentes, quos non posse esse nisi homines, satis per se notum est. De quinque vero aliis sacramentis, in quibus necessarius est minister consecratus et character Ordinis insignitus, satis etiam constat, eorum ministrum, non posse esse nisi hominem, quia nullus est capax sacramenti Ordinis, et characteris, nisi homo. Igitur solum relinquitur sacramentum baptismi, de quo possit dubitari. Nam Scotus in 4, d. 6, quæst. 4, sentit, Angelum posse esse ministrum hujus sacramenti, quia potest per corpus assumptum abluere, et verba proferre, et per se potest id facere debita intentione. Cui sententiæ favere videtur Augustinus, lib. 2 contra Parmen., c. 45, dicens: *Nemo accipit sine dante; sed quod attinet ad sanctitatem baptismi, adest Deus, qui dat, sive per hominem, sive per Angelum.* Dicendum est tamen, secundum legem ordinariam, solum hominem posse esse ministrum in sacramento, propter omnes rationes supra adductas, quæ satis declarant hanc fuisse Christi institutionem, atque hanc esse ordinariam legem. Unde Concil. Florent., in decreto Eugenii, assignans ministrum hujus sacramenti tam ordinarium quam sufficientem in casu necessitatis, solum facit hominum mentionem. Augustinus vero loquitur, non de lege ordinaria baptismi, sed de variis modis, quibus Deus potest sanctitatem conferre, vel per hominem, vel per Angelum, vel, ut ipsemet addit, per se ipsum, cum tamen certum sit, Deum per se ipsum

non conferre sacramentum baptismi juxta ordinariam legem; loquitur ergo Augustinus de eo, quod absolute fieri potest. Certum est autem ex privilegio, seu divina dispensatione, posse Deum conferre effectum baptismi per signum sensibile per Angelum factum, et fortasse Scotus nihil aliud voluit; requirit enim divinum præceptum, et ideo negat, baptismum datum a malo Angelo censendum esse validum, nisi certa revelatione constet de divino præcepto. Hæc vero dispensatio non solum habet locum in sacramento baptismi, sed etiam in aliis; est enim eadem ratio, quia Deus non magis alligavit potentiam suam signo sensibili in aliis sacramentis, quam in baptismo. Unde refert Niceph., l. 11 Hist., c. 20, Amphilochem quendam fuisse consecratum Episcopum per Angelum, eamque consecrationem ratam fuisse habitam ab aliis Episcopis, quibus credendum est sufficientibus conjecturis constituisse, illum fuisse bonum Angelum.

4. *Qui redit ad vitam, etiam in statu glorioso, an sacramenta posset ministrare.* — Atque ex his omnibus sequitur, animam a corpore separatam non posse esse ministrum sacramentorum, non solum quia non potest propria verba formare, sed etiam quia revera non est homo. Si autem post separationem a corpore, iterum ad illud rediret proprie informando et vivificando illud, non est dubium, quin suppositum illud, quantum est ex parte naturæ, posset esse sufficiens minister sacramenti, si aliæ conditiones necessariae concurrerent, quia esset vere homo. Quod maxime verum est, magisque indubitatum, si anima illa rediret ad corpus passibile et mortale, quia non solum ille esset homo, sed etiam viator. Si autem loquamur de homine omnino existente extra viam in corpore et anima gloriosus, potest nonnulla ratio dubitandi suboriri, quia Christus solis hominibus viatoribus videtur hæc ministeria commisisse, et hujusmodi potestatem contulisse, nam ad illos solos dixit: *Baptizantes eos, vel, hoc facite, etc.* Nec videtur sufficere, quod in hujusmodi homine maneat character Ordinis, quia cum character non sit potentia physica, sed solum signum, potuit dari ad deputandum hominem ad tale ministerium pro statu viæ et non pro statu beatifico. Nihilominus D. Thomas sensit, hunc hominem esse sufficientem ministrum sacramenti, ut notavimus, art. 7, ad 2. Et videtur hæc sententia probabilior, quia in hujusmodi supposito concur-

SECTIO II.

Utrum ad sacramentum conficiendum necessaria sit ministro intentio faciendi sacramentum.

1. *Nomine intentionis hoc loco solum intelligimus voluntatem faciendi sacramentum, ex quocumque fine vel ratione procedat, quia omnis alius finis extrinsecus est impertinens (ut nunc supponimus) ad sacramenti veritatem; solum ergo hoc objectum, scilicet, sacramentum perficiendum, consideratur in præsentem tanquam finis, ad quem aliæ actiones ordinantur, et ideo voluntas illius objecti ut perficiendi vocatur intentio, de cujus necessitate præsens quæstio instituitur.*

2. *Intentio conficiendi actiones externas a quibusdam putatur sufficiens.* — In qua est prima sententia, negans requiri hujusmodi intentionem ad valorem sacramenti. Hanc facile amplectuntur hæretici omnes, qui sacramentis nihil tribuunt præter externum symbolum, quatenus aptum est ad excitandam fidem; hoc enim facere possunt actiones, et verba sensibilia, etiamsi absque hujusmodi intentione fiant, imo etiam si non procedant a voluntate rationali, sed omnino casu et indeliberate fiant. Omisso vero hoc hæretico fundamento, alia via nonnulli Catholici seculi sunt hanc sententiam, dicentes, ad perficiendum sacramentum requiri quidem voluntatem faciendi illas actiones externas, quas Christus instituit, v. gr., lavandi et proferendi talia verba, et hanc dicunt esse intentionem faciendi quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia, quam Concilia requirunt ad sacramenti veritatem; negant tamen præter hanc voluntatem esse necessariam intentionem faciendi sacramentum, nam si minister velit debita verba proferre super debitam materiam, etiamsi decipiendi, vel illudendi causa id faciat, erit validum sacramentum. Hanc sententiam probabilem judicat Palud. ibidem quæst. 2, art. 3, licet contrariam judicet veriore. Angelus, in Sum., verbo Baptismus, 5, n. 7, dicit, quod licet baptizans intendat non facere quod facit Ecclesia, si tamen in re facit, quia formam servat, nihilominus baptizat, dummodo baptizare intendat; secus vero (inquit) si intenderet solum lavare. Et pro hac sententia citat Innocent. in capite pri. de Baptismo. Hi vero duo auctores revera non defendunt prædictam opinionem, quia dum distinguunt inter intentionem lavandi et baptizandi, satis indicant se sentire, esse ne-

runt omnia necessaria ex parte ministri ad substantiam sacramenti. Nam potest proferre propria verba humana, atque ita applicare propriam formam et materiam cum debita intentione, et potest etiam habere characterem, si necessarius sit. Quod vero non sit in statu viatoris, non videtur essenziale impedimentum, quia, licet Christus ad viatores homines sit locutus, quando eis dedit hujusmodi potestatem, quo modo eos tantum præsentem habebat, et per eos revera exercenda erant hæc ministeria, tamen nihilominus institutio absoluta fuit, et potestas data est hominibus, nec apposita est illa conditio aut limitatio, scilicet, pro solo statu viæ; et ideo in eis absolute manet, eamque exercere possent, si inter nos versari permitterentur.

5. *Qui ratione uti non potest, nec sacramentorum minister esse potest.* — Utimo dicendum est, non omnes homines esse posse ministros quorumcumque sacramentorum, sed illos solos, qui juxta Christi institutionem et variam sacramentorum rationem hanc potestatem acceperunt. Ratio hujus assertionis constat a principio supra posito, et applicatur ad singula sacramenta ex professo in propriis eorum tractatibus seu disputationibus, et præsertim cum agemus de sacramento Ordinis, ubi contra hæreticos ostendemus, non omnes homines posse esse sacerdotes aut habere æqualem potestatem perficiendi res sacras. Itaque in omnibus sacramentis in primis necessarium est, ut homo ratione uti possit, quia alias non poterit habere debitam intentionem, et ideo nec infantes, neque amentes, aut alii ejusmodi possunt esse sacramentorum ministri. Deinde, quod attinet ad necessitatem sacramenti, in baptismo quilibet homo ratione utens potest esse minister, in matrimonio omnes fideles baptizati qui possint inter se matrimonium contrahere, in Eucharistia et extrema unctione quilibet simplex sacerdos, in poenitentia vero sacerdos jurisdictionem habens; in aliis duobus Episcopus, vel ex dispensatione sacerdos in sacramento confirmationis et aliquibus Ordinibus. Quæ omnia intelliguntur de potestate simpliciter necessaria, nam jus dandi non his omnibus competit, sed quibus ex officio incumbit; de his vero omnibus latius in sequentibus

cessariam aliquo modo intentionem faciendi sacramentum, et non sufficere intentionem faciendi actionem externam; quod vero aiunt, posse esse validum sacramentum etiamsi minister intendat non facere quod facit Ecclesia, intelligunt, quando ex ignorantia habet intentiones repugnantes, unam baptizandi, et aliam discordandi ab intentione Ecclesiae. Expresse tenet hanc sententiam Sylvest., Baptis., 3, n. 42, qui existimat esse sententiam D. Thomae, ut supra dixi, et saltem negari non potest quin in 4, dist. sex., q. 1, art. 2, quaestiu. 1, ad 2, in hanc opinionem fuerit propensus; refert enim secundo loco opinionem asserentem, in baptismo et aliis sacramentis, quae habent in forma actum exercitum, non requiri mentalem intentionem, et quamvis non expresse, illam tamen approbare videtur; in hac vero 3 parte, multo aliter locutus est, ut explicuimus.

3. Potest autem in hujus sententiae favorem afferri historia illa vulgaris de Athanasio, qui cum esset puer, quosdam alios pueros per jocum baptizavit, et tamen eum baptismum ratum habuit Alexander Patriarcha Alexandrinus, ut referunt Rufinus, lib. 4 Hist., cap. 14, et Niceph., lib. 8, cap. 44, et Sozomen., lib. 2, cap. 46, et Gratian., in cap. Spiritus Sanctus, § Ecce, 1, quaest. 1. Nec dissimilis est historia, quam refert Niceph., lib. 3 Hist., cap. ult., de quodam puero Judaeo per similem ludum ab aliis pueris baptizato, qui baptismus in Ecclesia Constantinopolitana approbatus est, et ideo non fuit iteratus, sed solum additae caeremoniae, quae defuerunt. Ergo signum est fuisse judicatum a praedictis Patriarchis, ad veritatem baptismi nihil aliud esse necessarium, praeter externam ablutionem, et formam, de quibus in praedictis casibus constare potuit, nam de interna intentione non solum constare non potuit, verum etiam neque satis probabili ratione praesumi, quod tamen maxime necessarium erat, si existimaretur talis intentio necessaria, praesertim in re tam gravi, et in sacramento ad salutem necessario.

4. Secundo augeri potest difficultas ex Augustino, lib. 7 de Bapt., cap. 53, et habetur in cap. Solet etiam quaeri, de Consecr., dist. 4. Ubi in primis ait, eum, qui baptizatur absque simulatione baptizati, servata Ecclesiae forma, manere baptizatum, in quibus verbis significat, simulationem baptizantis non esse contrariam veritati sacramenti, tum in universali locutione, tum maxime in speciali excep-

tione simulationis baptizati; nam exceptio (ut dicitur) firmat regulam. Rursus vero inferius expressius quaerens, an censendus sit esse baptismus, quando minister omnia per jocum et irrisionem facit, non audet quidquam definire, sed expectandam putat divinam revelationem.

5. Tertio argumentor a ratione; certum enim est, potuisse Christum ita sacramenta instituire, ut ad illorum valorem et efficaciam non sit necessaria praedicta intentio, sed solum signum externum, vel ad summum, voluntas efficiendi actionem externam et proferendi verba. Nihil enim afferri potest, cur hoc absolute repugnet, aut Christo fuerit impossibile; sed hic modus institutionis est multis rationibus convenientior; ergo dicendum est, hanc fuisse Christi voluntatem. Minor declaratur variis modis. Primo ex communi ratione ministrorum, nam quando aliquis transigit negotium, seu obligationem, aut contractum per ministrum, non requiritur intentio ministri ad valorem contractus, sed sola externa actionis executio; ut si Petrus per famulum rem aliquam dono mittat ad Paulum, non oportet ut famulus habeat intentionem transferendi dominium, sed solum ut rem exterius exhibeat et tradat nomine Petri, et quod Paulus acceptet; sed hoc eodem modo comparantur ad Christum ministri sacramentorum: ergo. Secundo, ex generali ratione signi sensibilis ex impositione significantis, nam hoc ipso quod vox vel actio externa ad significandum aliquid imponitur, si exterius exhibeatur seu proferatur, erit verum signum sensibile, quacumque intentione fiat; sed sacramentum est signum sensibile impositum a Christo ad significandum in tali actione, et talibus verbis; ergo talis actio et verba exterius exhibita habent illam significationem ex impositione Christi, quidquid minister intendat, imo si etiam ipse nolit. Nam, dum exhibet exterius talem caeremoniam, velit, nolit, facit signum a Christo institutum; facit ergo sacramentum; sicut qui exhibet seu dispensat hostiam consecratam, velit, nolit, confert sacramentum, quia ex vi consecrationis habet inseparabilem significationem. Ita ergo, qui exhibet talem caeremoniam externam, velit, nolit, dabit sacramentum, quia illa caeremonia habet inseparabilem significationem. Et confirmatur, quia si minister velit dare sacramentum, non tamen effectum, nihilominus, si suscipiens sit dispositus, recipiet effectum; quoniam ex Christi

institutione et promissione effectus infallibiliter est conjunctus cum susceptione sacramenti, quantum est ex parte illius, et ideo non potest minister illum impedire; sed simili modo sacramentalis significatio a Christo est imposita tali caeremoniae exteriori; ergo nihil aliud necessarium est, ut illa caeremonia significet, praeterquam quod exterius fiat; ergo, si minister hoc velit et faciat, necessario faciet sacramentum, nec potest sua voluntate seu intentione contraria impedimentum ponere Christi institutioni. Secundo confirmatur haec conjectura et ratio, quia revera minister nihil aliud facit, nisi externam actionem, seu prolationem verborum; formalem enim significationem non potest efficere, haec enim nihil reale addit verbis, aut actibus externis, sed solam denominationem resultantem ex Christi institutione; ergo, ut sacramentum fiat in ratione signi, non fuit necessarium exigere a ministro aliam intentionem seu voluntatem, praeterquam faciendi illud opus externum, quia natura sacramenti nihil aliud postulat, neque aliud est necessarium ad totum illud sensibile signum applicandum. Tandem explicatur hoc exemplo: nam si duo baptizati velint contrahere matrimonium in facie Ecclesiae, et expresse nolint facere sacramentum, nihilominus efficient, quia prior voluntas est efficax ad faciendum contractum, et non est in eorum potestate separare rationem sacramenti a tali contractu inter baptizatos inito; ergo simili ratione in caeteris non requiritur talis intentio. Unde potest confici generalis confirmatio: nam interdum habet minister contrarias intentiones ex ignorantia, ut in praedicto casu, aut si velit dare baptismum, non vero sanctificare parvulum; quid ergo tunc fiet? Videtur etenim res esse perplexa, si requiritur intentio, quia non est major ratio, cur una intentio operetur, quam alia; ergo ad vitandam hujusmodi perplexitatem, melius est negare intentionis necessitatem. Tertio, ad certitudinem sacramentorum, et ad pacandos animos suscipientium illa, videtur hic modus institutionis multo magis conveniens. Decuit enim maxime, ut de sacramentorum veritate constaret fidelibus, quoad fieri posset, et Ecclesiae, ut recte docuit D. Thomas, in 4, dist. 5, quaest. 2, art. 2, quaestiu. 1, ut ex hoc principio concludat bonitatem ministri non esse ad substantiam sacramenti necessariam; atque eodem ad eandem rem utitur saepe Augustinus, ut videre licet lib. 1 contra litteras Petiliae,

cap. 3, et lib. 2, cap. 3 et 5, et aliis locis infra tractandis; si autem valor externi sacramenti penderet ex intentione interna ministri, non minus esset incerta veritas sacramenti, et sanctificatio ejus, quam si penderet ex sanctitate et fide ministri, quia non magis potest constare Ecclesiae de intentione, quam de fide ejus. Et confirmatur, nam potissimum redderentur incerta sacramenta ab haereticis collata, servata ecclesiastica forma, quia merito dubitare possumus de vera intentione ejus, qui veram fidem non habet, praesertim cum dicat Augustinus, Psalm. 31, quod intentionem rectam non facit, nisi recta fides. Confirmatur haec conjectura, quia ut Chrysostomus ait Homil. 85 in Joan., prope finem: *Justum non est, propter alius* (id est, ministri vel sacerdotis) *malitiam ad salutem nostram accedentes offendi*; ergo neque etiam videtur justum, ut is, qui bona fide ac mente accedit, et exterius recipit totum id, quod videtur necessarium ad sacramentum, propter solam malitiam ministri volentis illum decipere et illudere, tantum patiatum detrimentum, quantum est privari sacramento et fructu ejus; et interdum fortasse propter solam eam causam damnari.

6. *Intentio faciendi sacramentum est omnino necessaria.* — Dicendum nihilominus est, ad faciendum sacramentum non sufficere externam effectorem caeremoniae sensibilis, nec voluntatem efficiendi illam actionem quasi materialem, sed requiri intentionem faciendi sacramentum, vel sub hoc conceptu vel sub aliqua ratione confusa et communi, seu aequivalenti, scilicet intendendo facere quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt, vel aliquid simile; quilibet enim ex his modis intentionis absque controversia sufficit, et reperiri potest in haeretico, vel alio infideli, et in homine ignorante. Atque hoc modo explicata conclusio est communis Theologorum, in 4, dist. 6, Bonavent., art. 3, quaest. 4; Richard., art. 4, quaest. 2; clarius et melius Scotus, quaest. 5; Gabr., quaest. 1, art. 2, conclus. 3 et 4; Durand., quaest. 2; Major., dist. 4, quaest. 1, § penul. circa finem; Hadria., quaest. 3 de Baptis.; Soto, dist. 4, quaest. 5, art. 8; Victoria, in Sum. de Sacramentis, in materia de Baptismo, n. 21; Alex. Alens., 4 part., quaest. 43, in membr. 4, per totum, praesertim art. 4; Hugo de S. Vict., lib. 2 de Sacramen., part. 6, cap. 43. De D. Thomae sententia satis est in commentariis dictum, eademque aperte colligitur ex his, quae su-